



O. i. 870 (1-39).

PROLVSIO  
QVA  
AD  
ORATIONES  
QVAE  
IN  
GYMNASII REGII ACADEMICI  
ALTONENSIS  
AVDITORIO MAIORI  
A.D. X. OCTOBR. CIO IO CC XXXXII HOR. X. ANTEM.  
A DVOBVS GYMNASII CIVIBVS  
FRATRIBVS GENEROSIS  
VLTIMAE  
HABEBVNTVR  
AVDIENDAS  
PATRONOS ET FAVTORES  
EA QVA DECET  
OBSERVANTIA ET HUMANITATE  
INVITANT  
DIRECTOR ET PROFESSORES  
RELIQVI.

ALTONAE  
EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI OPERIS BVRMESTERIANIS.

XI

11.

PROLATIO  
ORATIONES  
GYMNASII REGII ACADEMICI  
ALTONENSIS  
AUDITORIO MAIORI  
V.D.X. OCTOBR. 1613 CC XXXX HOC X. ANTEM  
V. DOBAS GYMNASII GLAVIBAS  
FRATRIBAS GENEROSES  
ALTIMAE  
HABEBANTUR  
ADIEINDAE  
PATRONOS ET FAVORITES  
HA. 6A DECET  
OBSEERVANTIA ET HUMILITATE  
INVENTA  
DIRECTOR ET PROFESSORES  
RELIGIAE  
ALTONENSIS  
EX ALTONENSIS GYMNASII ETATI ACADEMICOIS OTTAVI PLACIDISSIMIS



**P**ar fratrum nobilissimorum, felici industria in hac studiorum palaestra exercitorum, solenniter et cum publico testimonio ex sinu atque complexu nostro dimisuri, nobis omnino gratulamur, quod inter tot florentissimos, qui formandi ad bonam mentem et litterarum studia disciplinae nostrae iuuenes traduntur, haud pauci nobis obtigerint, in quibus iustissima commendationis ratio est, et in quos maxime videremur iniurii, nisi eos laude, quam merentur, ornaremus abeentes, ut etiam apud illos virtutis suae praecones inueniant, qui eius neque spectatores coram adesse, neque adeo censores esse possunt. Inter hos suo iure referendi sunt, qui ultimum Gymnasio nostro Vale, nec immerito nec indigne, ditati occasionem hanc nobis scribendi præbuerunt, duo optimae spei et erectioris indolis Adolescentes. Qui, quum pra-

ter Iuris Prudentiam aliasque scientias, quas hic edocti fuere, elegantioribus etiam litteris, eloquentiae in primis tam solutae quam ligatae, curam atque tempus impenderint, argumentum scriptionis ipsi nobis suppeditarunt, suo exemplo testantes, haud inanem nos operam ludere, si praestantissimae arti, quam multi pro effrena fingendi despiendique licentia habent, consultum eamus et dignitatem Poeeos tueamur, scientiae, quae a principibus, virisque sapientissimis atque amplissimis amata semper et exulta fuit. Infedit enim adhuc multorum animis atque inueterauit stolidior dicamus an perniciosior opinio, politioris litteraturae et liberalium disciplinarum culturam aut fructu et vtilitate plane destitutam, aut minus necessariam negligenterque instituendam esse. Iniquioribus his scientiarum arbitris diem non dicemus iterum, male iam mulcatis a pluribus ob hanc sententiam, et a vero remotam et ipsi eruditio regno periculosam. Nos potius, maleferiatos hos laudissimarum artium vituperatores irato suo genio relinquentes, id negotioli iam suscipiemus, ut de poesi contrarium adseramus et ex eo, quod haec animorum regina in sensus ac voluntates hominum exercet, imperio, atque ex incrementis, quae reipublicae et ciuitatis sacrae pomoeria inde capiunt, vtilitatem iucundissimae artis strictim breuiterque demonstremus, et hac ratione poesin, nauseatam a multis obesae naris hominibus iniustissimoque contemtu oneratam, splendori suo suaequem maiestati, quantum in nobis *est*, vindicemus.

Antiquissimus hic poeseos honos est, nec nostris deum temporibus hoc, quidquid habet, imperii atque excellentiae sibi acquisiuit diuina haec scientia, sed iam primis mundi aetatibus obtinuit, ita ut non facta, sed nata animorum rectrix videatur. Nolumus iam, neque enim iuuat, neque necessum est, ad miraculosam ORPHEI (*a*) lyram et AMPHIONIS

*(a)* HORATIVS Carm. Lib. I. Od. XII,

testudinem, et ad alia, quae fabulose ab antiquis narrata sunt, prouocare, quamquam et sub his fabularum inuolucris invidiosa haec, ab omnibus tamen antiquitatum scrutatoribus concessa, omniumque eruditorum, quibus nasum habere datum est, consensu corroborata veritas lateat, vim atque efficaciam carminibus inesse maxime admirabilem. Omnes enim, qui primi dispersos olim in agris homines atque in silvis errantes congregasse et ex agresti ac ferina ad mitiorem cultioremque vitam traduxisse perhibentur, nonne illud praetentibus carminum illecebris atque blanditiis effecisse dicuntur (b)? Et haec est illa vbiique celebrata diuinitas, quam veteres Poesi tribuerunt, quamque vniuersa poetarum gens superbo ore crepare numquam erubuit. Hoc etiam, si quid iudicamus, sensu Academicorum ille Coryphaeus, PLATO, poetas Deorum filios ac interpres sapientiaeque patres appellavit (c), cui et magnus ARISTOTELES, at quantus philosophus, aliqui summi nominis summaeque prudentiae viri hac in re suffragati sunt. Quum enim et praeclarissimas sententias, certis numeris ac pedibus vincitas, et oraculorum similia atque aenigmatum speciem præbentia multa eloquerentur poetae, atque ita prodeissent simul et delectarent: suscepit eos et quasi terrestres quosdam Deos venerata est rudis illa antiquitas, atque adeo cantuum suavitatem irretita pulchritudinisque mirifico splendore obstupefacta ducendam fese illis gubernandamque totam permisit. Communis hinc fere ac peruagatissima opinio facta est, poetice non tam artem esse, quam impetum quandam et furorem animi, quallem et in vaticinantibus et sacro thyrso percussis admirabantur.

X 3

Te-

(b) HORATIVS Art. poet. v. 391. seqq.

(c) θεούς, εὐθεούς, εὐθεοτάτους, ιερούς, ἐπιπόνους, ἐμφόνατος, καὶ κατέχοντος ἐκτον Θεού. Et DEMOCRITVM refert CLEMENS ALEXANDRINVS Stromat Lib. VI. dixisse. ποιητης δε αὐτοι μεν οι γραφη μετ' εὐθεοτάτου και ιερου πνευματος, καλα καγ



Testes desideratis? Sexcenti et plures adsunt, quos proferre possemus, si vacaret, si pugnandum auctoritatibus esset. Vnus pro centum millibus sufficiat CICERO, qui, sic, inquit (d), a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina et praecepsis et arte constare, poetam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi diuino quodam spiritu inflari (e). Quare suo iure Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Neque illud mirum. Non enim sententiarum solum grauitate verborumque pondere in intimos pectorum recessus penetrant atque irrumpunt diuiniores poetae, sed mentibus etiam sese insinuant numerorum modorumque suavitatem, quæ ita naturae nostræ consentanea est, ut veterum quidam animum ipsum numerum esse atque harmoniam putauerint (f). Maxime sensitiva vis animæ nostræ imaginatio est, cui genuinus poeta cum ratione semper indulgens, aliorum quoque facultatem imaginandi excitare adlaborat. Quo artificio sensus nostri actutum capiuntur, et ipse tandem intellectus delectationi sese submitit, atque ita anima nostra sensim ad virtutem ducitur, imaginatione pulcherrimis iucundissimisque earum rerum, quae in panaeticis socraticisque libellis tetricae et molestissimæ videntur, imaginibus mirabiliter capta. Facilius enim omnino atque altius in animum descendit virtus, illicibus atque efficacissimis comitata poeseos incantamentis. Tot enim et tam audaces figuræ, tot numeri magnifici atque sonori, tot orationis lumina, tot verborum sententiarumque aculei, tot

ima.

(d) In Orat. pro Archia Poeta, cap. VIII.

(e) Ad cuius aures non penetrauit decantatissimum illud OVIDII de A. A. Lib. III. 549.

*Eft Deus in nobis et sunt commercia caeli,  
Sedibus aerbereis spiritus ille venit.*

(f) ARISTOTELES Poetic. cap. IIII. Et hanc fortassis ob causam illustris Leibnitzius, Vir, sicut ubiuis magnus, ita poeta acutissimus, suasit.

imagines viuidissimae, quibus gaudet poesis et luxuriat, omnes  
mentis nostrae facultates, vel arde et grauiter dormitantes, ex-  
pergefaciunt, omnesque animi vires fortiori sono excitant, quam  
*Misenus ille Virgilianus,*

*Quo non praestantior alter,  
Aere ciere viros Martemque accendere cantu (g).*

Poetas quidem lasciuiae suae frenis remissis magnam inter  
homines perniciem phæthonemque incendium excitare, bonos-  
que mores inficere grauiter atque depravare posse, negandum, pro  
dolor, non est. At e contrario saniores huius artis cultores cae-  
lestique aestu calentes efficacissimos ad virtutem stimulos animis  
hominum iniicere, eosdemque ad religiosam vitam inflammare  
insigniter posse, quis est, qui inficias iret, nisi homo elephanti corio  
circumtectus omniq[ue] humanitatis sensu exutus? Quem tamen la-  
pidem potius et truncum, quam hominem dixeris. Nam fe-  
rissimos quoque atque immanissimos homines, nulla re, nisi cae-  
de ac sanguine, gaudentes, poematum saepe vis incredibilis,  
animum permulcendo, mansuefecit. ALEXANDRUM, qui apud  
Pheraeos in Theffalia tyrannydem occuparat, aspero supra  
modum et immitti atque efferato ingenio fuisse accepimus, ita,  
ut homines viuos defoderet alios, alios, aprorum vrsorumque  
pellibus insutos, canibus venatoribus dilaniandos obiiceret, id-  
que sibi pro ludo atque oblectamento haberet. Coram hoc  
tyranno agebantur aliquando EURIPIDIS Troades, qua in fabula  
dolenter admodum deplorantur Troianorum calamitates. Ho-  
mo, quamvis durus et indomitus, quemque nulla vñquam res  
ad misericordiam flectere potuerat, sensit tamen se lugubribus  
poetics cantibus commoueri. Itaque statim se proripuit e the-  
atro, indignum esse, exclamans, se, cui tot strages, tot vrbium  
direptiones, tot ciuium tormenta numquam lacrimam ex-  
primere vnam potuissent, Hecubae et Andromachae malis il-

( 4 ) laci-

lacrimare. Crederes igitur, non humano sed divino ore poetas effundere versus suos. Animos dictis regunt, et quounque volunt, auditores trahunt. Vehemens, acris, incitata, ardens et, ut ita dicamus, rapida ruit eorum oratio; cursu atque impetu suo, quidquid ipsis resistit, impellunt, frangunt, dissipant, comminuant; quidquid cedit, secum vehunt ac auferunt. Virtutes, quas imitandas proponunt, non adumbrant, sed depingunt, non describunt, sed exprimunt, non oculis subiiciunt, sed animis legentium atque audientium altissime infigunt. Languidis ac torpentibus animis faces quasi admouent(h), fulmina in mentes vibrant, pectus concutiunt, et quasi stimulis confidunt. Mox instant, virgent, premunt, proturbant atque prosternunt, mox demulcent, deliniunt, blandiuntur, titillant, ut abripi videantur auditores, non sequi (i).

Quam praeclare igitur cum poesi et vniuerso humano genere ageretur, si excellentissima illa ingenia, quibus contigit esse tam felicibus, ut poetae nati sint, praestantissima hac arte, quae tam misere abutuntur, rectius vterentur ad bonos mores formandos, ad vitia ex animis excutienda et extirpanda, ad virtutes iisdem instillandas ac imprimendas, ad gloriam diuinam euangelandam atque amplificandam. Haec potiora, haec illustriora, quid? quod haec sola (k), haec summa atque ultima poematum argumenta sunt! Intelligenda omnino erit ex his, quae strictim a nobis dicta sunt, poeseos praestantia atque perfectio, cuius qui iucunditatem percepérunt, utilitatem cognoverunt, dulcedinem degustarunt, efficaciam denique experti probe fuerunt,

quin

(h) *Carmen adfectibus nostris faciem subdant.* Senec. epist. CXV.

(i) *Elegantissime Poeseos vim expressit Gabriel Ioannes Regnarius* in epistola ad *Emanuel Martinum* datâ, quae in huius Epistolarii Lib. I. decima quarta est.

(k) Stantem nobiscum deprehendetis celeb. ROLLINVM in commentatione sui eruditissima *de la maniere d'enseigner et d'étudier les belles*

qui pedibus in nostram sententiam ituri sint, nihil est, quod dubitemus. Etsi enim quaevis ars, quaevis scientia vitae humanae commoda atque ornamenta adauget, naturaeque dignitatem ad maiorem gradum extollit, prae ceteris tamen, si a sanctioris theologiae cognitione et anterioribus quibusdam disciplinis discesseris, huic fini adsequendo accommodatissima videtur poesis, quam et ipse Deus aptam dignamque existimauit, qua plurima salutis nostrae aeternae mysteria a sacris scriptoribus panderentur, laudesque sapientiae, virtutis, ac gratiae suae praedicarentur.

Apprime hoc faciunt, quae Vir defecatissimi iudicij, ac insigni eruditione praclarus, seculi et gentis suae decus, *Franciscus Baco de Verulamio* grauissime hac de re disputat, et quas hec legisse neminem poenitebit. Pronuntiantur enim (1) in iis summatim de poeseos dignitate et veriora et doctiora iudicia, quam in omnibus, quae vnumquam de hac praestantissima arte conscripta sunt, voluminibus comprehenduntur. Adscribemus in pagina extrema ipsa acutissimi viri verba (m), auro cedroque dignissima, quorum sensum haud infelici successu, stilo licet dissimili, ita latine interpretatus ipse est : *De poesi narrativa*

(1) Teste Richardo Steele.

(m) *De dignitate et augmentis Scientiarum* Lib. II, cap. XIII, Poetry, especially Heroical, seems to be raised altogether from a noble Foundation, which makes much for the Dignity of Man's Nature. For seeing this sensible World is in Dignity inferior to the Soul of Man, Poesy seems to endow humane Nature with that, which History denies; and to give Satisfaction to the Mind, with at least the Shadow of Things, where the Substance cannot be had. For if the Matter be throughly considered, a strong Argument may be drawn from Poesy, that a more stately Greatnes of Things, a more perfect Order, and a more beautiful Variety delights the Soul of Man, than any Way can be found in Nature since the Fall. Wherefore seeing the Acts and Events, which are the Subjects of true History, are not of that Amplitude as to content the Mind of Man; Poesy is ready ad Hand to feign Acts more Heroical. Because true History reports the Successes of Busines not proportionable to the Merit of

tiua, siue eam heroicam appellare placet, modo hoc intelligas de materia, non de versu, ea a fundamento prorsus nobili ex-cita videtur, quod ad dignitatem humanae naturae imprimis spectat. Quum enim mundus sensibilis sit anima rationali dignitate inferior, videtur Poesis haec humanae naturae largiri, quae historia denegat; atque animo vmbbris rerum vtcumque satisfacere, quum solida haberi non possint. Si quis enim rem acutius introspiciat, firmum ex poesi sumitur argumentum, magnitudinem rerum magis illustrem, ordinem magis perfectum, et varietatem magis pulchram animae humanae complacere, quam in natura ipsa, post lapsum, reperiri vlo modo possit. Quapropter, quum res gestae, et euentus, qui verae historiae subiiciuntur, non sunt eius amplitudinis, in qua anima humana sibi satisfaciat, praesto est Poesis, quae facta magis heroicā configat. Quum historia vera successus rerum, minime pro meritis virtutum et scelerum, narret; corrigit eam Poesis, et exitus et fortunas secundum merita, et ex lege Nemeseos, exhibet. Quum historia vera, obvia rerum sati-ate, et similitudine, animae humanae fastidio sit; reficit eam Poesis, inexspectata et varia, et vicisitudinum plena ca-

nens

tunes according to Desert, and according to the Law of Providence: Because true History, through the frequent Satiety and Similitude of things, works a Distaste and Misprision in the Mind of Man; Poesy cheareth and refresheth the Soul, chanting Things rare and various, and full of Vicissitudes. So as Poesy serveth and conferreth to Delectation, Magnanimity, and Morality; and therefore it may seem deservedly to have some Participation of Divineness, because it doth raise the Mind, and exalt the Spirit with high Raptures, by proportioning the Shews of Things to the Desires of the Mind; and not submitting the Mind to Things as Reason and History do. And by these Allurements and Congruities, whereby it cherisheth the Soul of Man, joined also with Consort of Musick, whereby it may more sweetly insinuate itself; it hath won such Accels, that it hath been in Estimation even in rude Times, and barbarous Nations, when other Learning stood excluded.


nens. Adeo, vt Poesis ista non solum ad delectationem, sed etiam ad animi magnitudinem et ad mores conferat. Quare et merito etiam diuinitatis cuiuspiam particeps videri posit, quia animum erigit, et in sublime rapit; rerum simulacra ad animi desideria accommodando, non animum rebus, quod ratio facit et historia, submittendo. Atque his quidem illecebribus, et congruitate, qua animum humanum demulcet, addito etiam confortio Musices, vnde suauius insinuari possit, auditum sibi patefecit, vt honori fuerit etiam seculis plane ruidibus, et apud nationes barbaras, quum aliae doctrinae prorsus exclusae essent.

Jam tempus est, ut ad eos redeamus, quos praeclarorum ingeniorum fautoribus ac promotoribus amandos ornandosque iam tradimus, et quorum potissimum rationes a nobis postularunt, vt haec, qualiacumque sint, conscriberemus. Publica, eaque honestissima Iuuenium duorum, nobili stirpe procreatorum, Academiam meditantium, missio indicanda, inuitanda ad eorundem orationes vltimas splendidissima Auditorum multitudo est. Fratres sunt, in quos vna cum reliquis, quae in se collata bene meminerunt, et hoc constare voluimus amoris nostri ac benevolentiae officium. Fratres, ingenio, diligentia, eximiaque morum probitate ac suauitate commendandi

IOANNES THOMAS de BACHMAIR

CASPAR MATTHIAS de BACHMAIR,  
Stellingenses - Holsati,

qui laudabiliter apud nos quinque semestria transegerunt. Nam ex quo, in nostris ante hos tres annos felicissimi Augustissimi Regis CHRISTIANI VI. auspiciis apertis litterarum stadiis cursum ipsis instituere licuit, remis, vt aiunt, velisque elaborarunt, vt non sine gloria eundem emetirentur. Quo factum est, vt non plures



tantum in via comites multis post se parasangis reliquerint, sed et desideriis eorum, quibus ducibus vni sunt, abunde fecerint satis, fidemque suam et obsequium ipsis promissum minime fefellerint. Quumque eadem animi alacritate, eodem in litteras ardore, ad altiora nunc tendant, audemus praesagire, fore, ut nisi bonam istam a se mentem segregent, evadant tales, quales et nos et boni omnes valde optamus. Ut autem eo felicius res suas agerent, pietatem, que suam ac progressiones in litteris hic factas, publicis simul grati animi testimoniis editis, aliis quoque probarent, constituerunt secundum ad d. X. Octobr. horis antemeridianis in Auditorio Gymnasi maiori musis nostris ultimum more consueto ac solenni ritu dicere Vale. Alter eorum,

**JOANNES THOMAS de BACHMAIR**

*Originem iuris civilis ostendet, versibus germanicis locuturus.*  
Alter vero,

**CASPAR MATTHIAS de BACHMAIR**

*de DANIA christiana sacra amplectente sermonem latinum habebit.*

Ad audiendos igitur hos, quibus optime cupimus, generosos et ornatissimos iuvenes, ut Viri Perillustris ac Summe Reverendus, spectatissimi Gymnasiarchae nostri, ceterique litterarum ac Gymnasi nostri nostrorumque Academiae Candidatorum Patroni, Fautores atque Amici, quibus commodum atque otium est, pro sua in nos voluntate, frequentes contueriant, officiose ac perhumaniter etiam atque etiam rogamus. P.P. Altonae ipsis Calend. Octobr. 1731.



01 A 6519



3

Skt. 7 = Zschr.

56.

Ruth J

K



B.I.G.



PROLVSIO  
QVA  
AD  
ORATIONES  
QVAE  
IN  
GYMNASII REGII ACADEMICI  
ALTONENSIS  
AVDITORIO MAIORI  
A.D. X. OCTOBR. CIO ID CC XXXXII HOR. X. ANTEM.  
A DVOBVS GYMNASII CIVIBVS  
FRATRIBVS GENEROSIS  
VLTIMAE  
HABEBVNTVR  
AVDIENDAS  
PATRONOS ET FAVTORES  
EA QVA DECET  
OBSERVANTIA ET HUMANITATE  
INVITANT  
DIRECTOR ET PROFESSORES  
RELIQVI.  
ALTONAE  
EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI OPERIS BVRMESTERIANIS.